



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Discursus cum Calvinista habitus primò de Romano Pontifice, dei tribus  
Punctis 1. ex Conc. 2. ex Patribus. 3. ex rationibus & reflexionibus aliquot  
conglobatis circa fidem considerandis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

quæ præter fidem requirit bona opera. Et quàm quatuor prima Concilia œcumenica acceperet per traditionem ab Apostolis tum per verbum Dei scriptum tum traditum. Concilia hæc quatuor cæteraque pro fide Romano-Catholica militantia quod attinet, videtur non abs re fore, si adnectam discursum de iis cum nobili quodam perhumano latisque docto Calvinista habitum, qui à quatuor CC. Pontificem Romanum pro Vicario Christi agnoscentibus suum duxit exordium.

*Discursus cum Calvinista habitus primò de Romano Pontifice, dein tribus Punctis 1. ex Conc. 2. ex Patribus. 3. ex rationibus & Reflexionibus aliquot conglobatis circa fidem considerandis.*

Petebar is sibi monstrari acta quatuor primorum generalium Conciliorum, ut perspicere ex iis posset, an ea Papam Romanum tanquam Caput Ecclesiæ agnovissent. Cùm ergo codices pervetusti ad manum essent, ut de origine Conciliorum ac causis præviè instrueretur, oblata est ei legenda Præfatio actis Concilii generalis Ephesini præfixa tenoris sequentis. *Conciliorum Originem haud aliam fuisse constat, quàm Apostolicam, ex Christi disciplinâ & Spiritus Sancti, qui Apostolos regebat, afflatu introductam. Primi siquidem Apostoli, in illo Hierosolymitano conventu ob exortam de legalibus carimonis controversiam ex universa, qua tunc erat Ecclesia,*



viros convocârunt, & Ecclesiasticarum Synodorum non solum formulam & exemplar, verum etiam causas, & quos maxime ad usus cogenda essent, ostenderunt. Disceptatio namque illa partim fidei, partim morum rituumque questionem continebat. Cumque his ferè duobus tota Ecclesiastici juris ratio nitatur, & quidquid adversus intactam Christi Sponsam Sathana insidia commoverint, ad horum alterum tendat, ut vel rectam fidem pravæ opinionibus evertat; vel externum domus Dei ornatum decoremque labefactet. Jam quodocunque alterutram in partem summo remedio opus fuit, Apostolicum secuti exemplum eorum muneris heredes, atque in Ecclesia gubernatione successores Episcopi nullum aliud præsentium nullum aptius opportuniusque censuerunt, quam frequentium legitimorumque conciliorum.

Usque huc suprâ laudata Præfatio. Ubi & hoc notandum, formulam & exemplar Conciliorum legitimorum in primo hoc Concilio Apostolico in hoc quoque constituisse. Quod Petrus à Christo constitutus Ecclesiæ caput primus dictarit sententiam hoc modo præfatus. Vos scitis, quoniam Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii.

Qua in re Concilia quatuor prima œcumenica, ut jam videbimus, secuta sunt, agnoscendo Romanum Pontificem ut Petri Successorem, & Ecclesiæ ac Conciliorum in rebus fidei ac morum decidendis Caput. Nam